26

DE

TESTE IVDAEO

IN VSVM

DNN. AVDITORVM SVORVM

QVAEDAM DISSERIT

ET

PRAELECTIONES SVAS

PER SEMESTRE HYBERNVM HABENDAS

INTIMAT

ABRAHAM KAESTNER,

IVRIVM DOCTOR ET PRACTICVS.

LIPSIAE,

Literis GABRIELIS TROGII.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

§. I.

PRobationem haud inepte Proceſſus animam adpellant, ſiquidem, vti loqui amant, coecis in foro verſantibus conſpectum reſtituit, iudici viam facilem & apertam ad iudicandum praemunit, oppreſſis fert opem, cauillationes, vanaque ſophiſmata, vt ſol tenebras expellit, conciliat rixas, dirimit contentiones, efficit, vt dominia rerum diſtinguantur, & vnicuique, quod ſuum eſt, ſartum tectum conſeruetur. v. DAMHOVD. *in Prax. Ciuil. c.* 156. *n.* 1.

§. II.

Inſtituitur vero probatio *vel* per *Iusiurandum*, *vel* per *documenta*, *vel* per *teſtes*. De prioribus duobus modis plane ſilemus, circa tertium autem, breuiſſimis, in quantum Iudaeorum teſtimonium fidem mereatur, conſiderabimus. *Teſtes* alias deſcribuntur, quod ſint *perſonae, quae ad fidem de re dubia faciendam, Iudici euocantur & examinantur.* v. LAVTERB. *in Compend. Iur. Tit. de teſt. lit. D. p.* 430.

§. III.

Varii autem caſus, circa quaeſtionem: *An Iudaeus ſit teſtis validus?* a ſe inuicem ſunt diſtinguendi. Aut enim negotium, vbi Iudaeus concurrit, eſt *extraiudiciale*, aut *iudiciale:* Et circa iudiciale iterum ſubdiſtinguendum: Controuertitur enim *vel* inter ſolos iudaeos, *vel* inter Chriſtianos, *vel* inter Chriſtianos & Iudaeos. De quibus ſingulis in ſubſequentibus ſeparatim.

§. IV.

Quaeritur igitur I.) an iudaeus pro chriſtiano teſtis eſſe poſſit, in negotio extraiudiciali, *v. g.* in teſtamento? videtur quod non, quia ſerui nec habent teſtamenti factionem, nec teſtes in iis adhiberi poſſunt, iudaei autem Imperatoris in Imperio ſerui Camerae Imperialis, Kayſerliche Kammer-Knechte vocantur. v. *Priuil.* Imperatoris CONRADI, *de a.* 1234. LEIBNITZ. *in Prodrom. Cod. Iur. Gent. n.* 12. Si itaque ſeruus vt teſtis adhibitus ſit, corruit teſtamentum, *a.* §. 7. *Inſtit. de teſtam.* Hac obiectione vero non obſtante, adfirmatiua ſententia erit verior, & reſpondetur addictam

ctam dubitandi rationem, quod qu ... iudaei olim ſoli Imperatori ſubiecti fuerint, & ipſi tantum cenſum exſoluerint. v. GOLDAST: Reichs-Satz. *P. II. p.* 69. propterea etiam des Reichs-Cammer-Knechte, non quaſi eſſent ſerui, ſed quia ſoli *Caeſari* cenſum ſoluebant, dicti ſint; poſtquam vero per *A. B.* CAROL. *IV. cap.* 9. §. 3. iudaeorum receptio tanquam ſingulare priuilegium conceſſum, & hodie poſt *R. I. d. A.* 1548. *& Ord. Polit. d. A.* 1577. Superioritati territoriali hoc ius ferme cohaeret. v. LIMN. *ad Cap. Carol. V. p.* 257. nomen iudaeorum, Kammer-Knechte, prorſus exoleuit & antiquatum eſt, adeo, vt nihil obſtare videatur, quo minus Iudaeus in teſtamento, donatione, contractibus aliisque negotiis extraiudicialibus, teſtis eſſe poſſit, praeprimis accedente fauore probationis, qui non coanguſtandus. *arg. l.* 21. *C. de haeret. v.* BRUNNEM. ad *d. l. n.* 7. & quos ibidem adlegat, hanc ſententiam amplectentes.

§. V.

Scio equidem nonnullos *Dd.* quos inter eſt etiam I. S. STRYK, diſtinctionem *Imperatoris* in *l.* 21. *C. de haeret.* inter negotia *iudicialia* & *extraiudicialia*, reiicere, illamque pro abſurda habere, aſt ſcire etiam debebant diſſentientes, quod ideo praeprimis iudaei & haeretici in negotiis extraiudicialibus admittantur, quia teſtes in contractibus celebrandis, vtriusque deliberato & libero conſenſu adhibiti, & electi, reprobari deinde in perhibendo teſtimonio, ad quod, vigore requiſitionis, in teſtes ſimul tacite, & euentualiter quaſi cenſentur rogati, nequeunt, tametſi etiam in iudicio, lis deſuper oriatur, quia etiam teſtis alias inadmiſſibilis, voluntate partium, ſemel in teſtem receptus, repudiari deinde nequit. *a. l.* 17. *C. de teſtib.*

§. VI.

Sunt quidem, qui nullo modo iudaeis teſtimonium permittunt, eosque infamia facti laborare adſtruunt, quia diuina teſtimonia non ſequuntur, pondusque humani teſtimonii perdiderunt, *v. c. ipſa pietas* 24. *XXIII. qu.* 4. Deinde quia vſurarii & viles perſonae ſunt, quae a teſtimonio arcentur, *v. l.* 3. §. 5. *ff. de teſtib.* accedit & odium, quo chriſtianos proſequuntur; hinc vt eo melius chriſtianus a iudaeis ſibi cauere poſſit, ſingulari veſtitu, vel alio caractere, incedere iubentur. *v. Reformation* guter Policey zu Augſpurg. *d. A.* 1530. *tit.* von der Juden Kleidung. ibi: Desgleichen, daß die Juden einen gelben Ring an dem Rock oder Kappen allenthalben unverborgen zu ihrer Er-

kåntniß öffentlich tragen, & ETIENNE PASQVIERS *Recherche de la france chap. 33. p. 875.* de iudaeis tradit: *Pour cette meme, conſideration le Roy de France au mois d'Octrbre 1363. ordonna, que les Iuifs porteroint vne rovelle, où platine d'eſtain ſur l'epaule de la longueur de ſon grand ſeel.*

§. VII.

Et quamuis eiusmodi ſigna externa multis in locis in Imperio, non adeo rigide obſeruentur, interim tamen alicubi, praeprimis mercaturam exercentibus iudaeis iniungitur, vt ſignum aliquod, pro certa pecuniae ſumma redimant, quo nundinarum tempore perſonam ſuam legitimare tenentur, ſic in der Leipziger Juden-Ordnung *d. A.* 1682. §. 6. his verbis cautum: „Die Angebe-Schutz-“ oder Mauth-Zettul, auch gelbe Flecklein, ſoll ieder Jude ſtets bey ſich tra-“ gen, und ſchuldig ſeyn, iedweden Raths-Diener oder Stadt-Knecht, ſolchen“ auf Begehren vorzuzeigen, oder dem begehrenden Raths-Diener oder“ Stadt-Knechte im Verweigerungs-Fall, einen Reichs-Thaler verfallen“ ſeyn, hätte er aber noch gar keinen Zettul nach denen 24 Stunden gelö-“ ſet, oder ſich auf der Waage nicht angegeben, ſoll er 40. Rthlr. verfallen“ ſeyn.“ Haec tamen & alia, quae contra iudaeos, vt arceantur plane a teſtimonio, adduci ſolent, tanti momenti nondum ſunt, vt negatiuae ſubſcribamus, quia per leges publicas, prouinciales ſtatutarias &c. malo, quod metuitur a iudaeis proſpici poteſt, & in plerisque Germaniae locis proſpectum eſt diu: vt taceam, multas proferri poſſe rationes, ob quas iudaei non adeo turpiter & odio haberi debebant, de quibus *conf.* SPECKH. *Cent. II. Claſſ.* 1. *qu.* 16. *p. m.* 152. *ſeq.*

§. VIII.

Tranſeo ad negotia iudicialia, vbi nunc II.) quaeritur: *Si iudaeus alterum conueniat iudaeum, an tertius iudaeus recte vt teſtis producatur?* Quae quaeſtio ſine dubio adfirmanda, omnes enim hoc caſu, actor, reus & teſtis eiusdem ſunt ſectae, vt adeo ratione huius contra teſtem excipi nequeat, nihil enim iudaeus iudaeo, *Catalina Cethego* obiicit, *v. Gloſſ. ad l. 79. ſolut. matr.* & *arg. l. 11. ff. de inoff. teſtam.* & haereticus contra haereticum teſtis eſſe poteſt. *v.* BRVNNEM. *ad l. 21. C. de Haeret. c. 26. II. qu. 7.*

§. IX.

Ponamus III) caſum, *chriſtianum a iudaeo conueniri*: quaeritur, an iudaeus actor, contra reum chriſtianum, alios iudaeos, vt teſtes pro

producere, iisque actionem a ſe inſtitutam probare poſſit? Prima facie quaeſtio adfirmanda videtur, quoniam chriſtianus contrahendo cum iudaeo. ſemel fidem iſtius ſecutus eſt. ſicque in antecedens obligationem *ſcil.* cum iudaeo, conſenſit, & propterea etiam in conſequens, nimirum probationem per iudaeos, conſentire videatur, quia enim cum iudaeis contrahimus, commercia exercemus & plura alia peragimus, vt ſaepe aliud, quam huius teſtimonium haberi nequeat, iudaei etiam teſtimonium in tali caſu conſiderari deberet. v. BOEHMER. *in Iur. Eccl. Proteſt. L. II tit.* 20. §. 3. vbi Reſponſo *Hallenſium ICtorum*, late haec corroborat atque illuſtrat. Rectius vero negatur, haereticus enim contra Orthodoxum pro teſte non accipitur ſed repellitur, v. FARINAC. *Qu.* 56. *n.* 206. DECIAN. *lib. V. cap.* 43. *n.* 2. & iudaeus contra Chriſtianum non admittitur, *v. c.* 23. *& ſq. II. qu.* 7. *conſ. Nou.* 45. *c.* 1. Sic etiam *Dni Scabini Lipſienſes* referente B. RIVINO *ad O. P. S. tit. XXII. En.* 20. *p.* 924. pronunciarunt: Heinrich Ephraim und Bormann Beniamin Frenckel, ſind als Juden zum Zeugniß dißfalls nicht zuläßlich. Similem in modum iudicauit *F. I. L. M. Iun.* 1714. docente MENCKEN. *in Theor. & Prax. Pand. tit. de teſtib.* §. 13. *p. m.* 710.

§. X.

Limitatur tamen 1.) praecedens ſententia, & admittitur iudaeus, vt teſtis contra chriſtianum, ſi chriſtianus ſimul cum iudaeo contra chriſtianum, tanquam teſtis producatur, teſtes enim inhabiles ſupplentur ex aliis praeſumtionibus, id quod in ſpecie *Iure Saxonico* procedit, *iuxta* WEICHBILD. *art. vlt.* ibi: Die Jüden überzeugen die Chriſten auch alſo, mit zweyen Jüden und einem Chriſten. MENCKEN. *c. l.* v. COLER. *Dec.* 127. *n.* 3. CARPZ. *P. I. C.* 16. *def.* 71. *n.* 5. ita, in cauſa S. Chriſtian Heinrich Dreuers, contra Frau Eliſabeth Charlotten von Arnimb, in Summo Prouocationum Iudicio Dresdenſi, 1710. pronunciatum refert BERGER. *in Oecon. iur. edit. nou. p.* 1061. ſaluis contra perſonas teſtium exceptionibus, IDEM. *c. l.* 2.) in cauſis criminalibus, ſi veritas aliter haberi nequeat, vbi iurata iudaei denunciatio contra chriſtianum admittitur, hoc effectu, vt chriſtiano iusiurandum purgatorium imponendum ſit, vti reſpondit *F. I. V. Menſe Iulio* 1704. docente BERGERO, *c. l.* IDEM *Lib. II. Reſp.* 215. 3.) Si iudaeus a chriſtiano producatur contra iudaeum, quo caſu valet eius teſtimonium, non ſolum contra iudaeum ob fauorem chriſtiani, ſed etiam

contra ipſum chriſtianum producentem, quia teſtis debet ferre teſtimonium pro vtraque parte, & non valet pro vna parte tantum deponere, quia, quem quis pro ſe vult teſtem, eundem & contra ſe admittat, neceſſe habet; Sicut autem hoc caſu iudaeus a Chriſtiano productus, contra iudaeum deponere debet, ſic & iudaeus reus, teſtem iudaeum contra chriſtianum adhibet, actor enim & reus ad paria iudicandi ſunt regulariter. *v.* FARINAC. *de teſtib. Lib. II. tit. VI. qu.* 56. *n.* 217. *p. m.* 83. ACCVRSIVS, *in l.* 21. *C. de haeret.* SPECVLAT. *tit. de teſt.* §. 1. verſu: *item quod eſt iudaeus. n.* 59. ex eadem ratione iudaeus 4.) eſt habilis teſtis, ſi a chriſtiano contra chriſtianum producatur. Alias limitationes habet BARTH. *in Hodeg. edit. nou. p. m.* 174 *ſq. lit. m.*

§. XI.

Libri mercatorum ſi debita requiſita habeant, ex conſuetudine pro ſcriptis publicis habentur, *v* RVLAND. *de Commiſſ. P. II. tit.* 5. *C.* 9. *n.* 8. & ſemiplene probant, vt propterea, ſi mercator, vel alius, qui eos ſua manu conſcripſit, der Buchhalter, hos iuramento confirmet, actio plene ſit probata. RIUIN. *ad O. P. S. T. XXX. En.* 8. *v.* KLEIN. *de probatione, quae ſit per libros mercatorum*, *Roſtoch.* 1698. *conf.* BODINVS, *de libris mercatorum ſuſpectis, Hal.* 1707. id quod in Electoratu, *per O. P. N. Tit. XXX.* §. 4. ad proceſſum inter mercatores ſaltem reſtringitur; Quaeritur autem, ſi iudaeus mercator agat contra mercatorem chriſtianum, & librum rationum, (ſein Handels-Buch) iuramento confirmare, ſicque in ſupplementum iurare velit, an ſit audiendus? Sunt qui affirmant, quia iudaei in plerisque Germaniae locis tolerantur, atque commerciorum exercendorum facultatem habent, hinc BRVNNEM. *ad l.* 1. *ſeq. C. de Iud. Iudaeos*, inquit, *in Germania ciues Romanos eſſe, &, vbi tolerantur, Priuilegiis ciuium vti*, ex quibus ſimilibusque cauſis *a Fac. Iurid. Erfordienſi*, nec non *Helmſtadienſi*, dictum ſuppletorium iusiurandum circa librum mercatorum, admiſſum eſt, *referente de* WERNHER. *P. I. O.* 193. *p.* 336 Quia tamen iudaei, teſtimonium iudiciale contra chriſtianum ferre expreſſe prohibentur, vti §. 9. oſtenſum fuit, haud difficulter inferri poſſe videtur, iudaeum ad tale ſuppletorium, tanquam teſtem in propria cauſa, contra chriſtianum, admittendum non eſſe, accedit, quod fides libri, a fide viri dependeat, nunc autem inter omnes conſtat, iudaeos mercatores fide dignos non eſſe, propterea que a dicto iuramento merito ſunt arcendi, quemadmodum etiam pronunciauit

uit *F. I. V. Menſe Martio* 1705. apud WERNHER. *c. l.* vbi in fine adducit iudaeos leuis notae macula laborare. Aliud eiusdem tenoris praeiudicium *laudatae Facultatis*, *Menſ. Mart.* 1721. pronunciatum, exhibet IDEM, cum rationibus dubitandi, *Vol. VII. in Suppl. ad P. I. O.* 193. *p.* 198. *ſeqq.* Parili modo *Dnn. Scabini Lipſienſ.* iudicarunt, *verſus Deſſauiam*, *Menſe Nouembr.* 1708. conf. ZIGLER, *de iure iudaeorum c.* 5. §. 12. conſentit SERAPHINVS de SERAPHINIS, *de priuil. iurament. priuil. CXXIII n.* 6. *p. m.* 553. *it. de* BERGER. *in E. D. F. p.* 720. *nota* 8. vbi format regulam: quicunque repellitur a teſtimonio, idem quoque arcetur a iureiurando ſuppletorio.

§. XII

Caſui recenſito ex SCHILT. *Exercit. XXII.* §. 23. *p. m.* 327. de iuramento ſuppletorio, alium addo: Conuenit chriſtianus chriſtianum, reus pro ſe adducit teſtes iudaeos, qui iurato pro eo deponunt, vt propterea, ſi non in totum reus abſoluendus, ad purgatorium admittendus videatur, ſemiplena enim ad minimum adeſſe cenſebatur probatio per duos teſtes viles inſtituta; quia tamen praeſumtiones non leues pro actore militabant, non obſtante duorum iuratorum teſtimonio, actor ad ſuppletorium admiſſus fuit, cum iudaei ſoli contra chriſtianum ſint teſtes in habiles, vti dictum §. 9.

§. XIII.

Quae dicta ſunt de iuramento ſuppletorio, regulariter ſaltem procedunt; fallunt autem interdum, nimirum in caſu, vbi maior ſemiplena probatio deprehenditur. *v.* BERL. *P. I. Concl.* 54. *n.* 67. & *de* BERGER *c. l. p.* 725. quamuis haec ſententia ex BEUST. *ad l.* 31. *admonendi. n.* 191. ad quem in ſpecie BERLICH. prouocat, vix probari poſſe videatur; BEVSTII enim verba, *p. m.* 411. ſunt haec: *Item fallit, quando eſſet alias perſona honeſta, & foret plusquam ſemiplene probatum.* Iam autem in praecedentibus dictum fuit, iudaeos leuis notae macula laborare, hinc pro honeſtis perſonis reputandos etiam non eſſe. Quicquid vero ſit, benignior videtur ſententia, vbi ſemiplena maior probatio adeſt, ad iuramentum ſuppletorium iudaeum admitti.

§. XIV.

Vlterius expediti iuris eſt, iudaei contra iudaeum teſtimonium pro chriſtiano valere omnino, nec iudaeum contra talem teſtem, quaſi non eſſet omni exceptione maior, excipere, nec ſe propterea

ad

ad iuramentum veritatis offerre poſſe, ſed chriſtiano potius iusiurandum ſuppletorium *de credulitate*, quam aduerſario iudaeo, purgatorium *de veritate*, dictitandum eſſe, vti pronunciatum *a Dnn. Scabinis Lipſienſ.* & cenſuit etiam *Summum Prouocat. iudicium*, quod Dresdae habetur, contra Elias Jacob, Juden zu Amſterdam, *Conſil. hybern.* 1701. adducente *de* BERGER, *c. l. p.* 725.

§. XV.

Ob chartae anguſtiam plura adducere prohibeor, cum nunc etiam id agendum, cuius gratia haec praemiſi. Collegia illa, quae ante ſemeſtre ſpatium intimaui, diuina adſiſtentia, vti promiſi, abſolui; Reſtat igitur, vt etiam ea, quae ſemeſtri hyberno reſeruata ſunt, *Generoſis* ac *Nobilisſimis* Dominis Commilitonibus iudicem, quae ſunt ſequentia:

I. LVDOUICI *Doctrinam Pandectarum*, in qua huc usque priores *XV.* libros abſoluimus, explicando continuabo. *Hora* VIII. *ad* IX.

II. ELABORATORIO-PRACTICVM, methodo diu nota, de nouo exordiar. *Hora* IX. *ad* X.

III. INSTITUTIONALE, in ipſum Inſtitutionum Imperialium textum, adhibita tamen ſemper *Synopſi Menckeniana*, inchoabo. *Hora* X. *ad* XI.

IV. IVS SAXONICVM, occaſione Conſtitutionum *D. Auguſti*, quae diſcurſus fundamentum erunt, illuſtrabo. *Hora* II, *ad* III.

V. IVS CANONICVM, duce SCHILTERO, explicabo. *Hora* III. *ad* IV.

VI. PRAEPARATORIO-PRACTICVM, iis, qui futuro Elaboratio intereſſe volunt, apprime vtile, iuxta *Delineationem Proceſſus* abs me editam, praelegam, diebus ☿ & ♄. *Hora* IX. *ad* X.

VII. EXERCITIO-DISPVTATORIO & REPETITIONI, iisdem diebus, *Hora* XI *ad* XII deſtinata eſto.

Singula dicta collegia futuro die XV. *Octobris*, initium ſument, & ſi Deus vitam viresque conceſſerit, per ſemeſtre hybernum, abſolui debent. Faxit *Numen Immortale*, vt omnia feliciter eueniant! Dabam Lipſiae ipſo *Angelorum* Feſto.

A. R. S. cIↃ IↃ cc xxxvi.

(o)

VAI 1523462

Digitized by Google